



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

xvi [i.e. xiii]. Una unitate aggregationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

latibus dari nequeat scientia , Logica saltem docens versatur circa singularia, non quatenus singularia , sed ut sunt in intellectu abstrahente ea à singularitate confusè cognita.

XIII. Non est autem Logica totalis una simplex scientia , seu unus simplex habitus & qualitas in essendo , virtute tantum & in agendo , nimirum inclinando ad distinctos specie actus, multiplex; sed collectio plurium partialium habituum , tot nimirum, quoi sunt distinctæ conclusiones demonstrativæ in logicâ ; cum actus specie distincti generent distinctos specie habitus, & habitus seu major facilitas nata ab actu syllogizandi saepius repetito accrescere non possit seu uniri habitui definiendi, utpote diversæ rationis. Certè si logica sit talis simplex qualitas, quæ tota acquiritur per primum actum , jam sciens facere propositionem, novit totam Logicam , quæ sequela frustra negatur , eò quod tali habitui adhuc desit relatio ad alia objecta, sine qua is non potest versari circa illa, quia relatio, utpote quæ activa non est , non potest esse ratio agendi. Neque patrocinatur

B 2

huic

huius doctrinæ natura habituum supernaturalium aut fidei naturalis, priores enim, cum non generentur per actus, neque per illos, nisi meritorie, intendantur, inclinare possunt ad actus specie distinctos; posteriores vero inclinare possunt ideo ad actus specie diversos v.g. quibus credo, quod dicitur mihi à Petro de inferno, & quod dicitur mihi ab eodem de cœlo quia auctoritas Petri, utpote motivum movens me ad credendum, est narracioni illius extrinseca, & cum quocunque objecto æquè connexa; in Logicâ autem aliisque scientiis debet esse intrinseca connexio motivi formalis cum materia; sed unum idemque motivum non potest connecti cum tam disparatis objectis, & movere me ad assensum tam diversorum.

XIV. Neque Logica est scientia subalterna; conditiones siquidem requisitæ ad hoc ut scientia aliqua sit subalterna, sunt hæ: primum ut objectum subalternæ contineatur sub objecto subalternantis, ita, ut ab illo dependeat intrinsecè in esse & cognosci à priori, sic ut cognitio lineæ visualis dependet à cognitione lineæ. Secundò ut objectum subalternæ sit aliquo modo idem cum objecto sub alter-